

**Prot. N. 46628/12 CA**  
**Reductionis ecclesiae in usum profanum**  
**Incid.: Suspensionis**

**DECRETUM**

1. Die 7 aprilis 2011 Exc.mus Episcopus dioecesanus ecclesiam [...] reduxit in usum profanum non sordidum. Instantia diei 8 iunii 2011, D.na N. alique, remonstratione coram Exc.mo Episcopo frustra facta, recursum hierarchicum interposuerunt coram Congregatione pro Clericis, quae autem, audito Exc.mo Episcopo, die 8 septembris 2011 recursum reiecit. Recurrentes remonstrationem exhibuerunt etiam coram Congregatione, quae tandem, denuo audito Exc.mo Episcopo, die 25 ianuarii 2012 respondit in decisis manendum esse. Qua decisione recepta, D.na N. alique die 12 martii 2012 provocaverunt ad H.S.T., petentes suspensionem pendente recursu executionis reductionis ecclesiae.

2. Actis petitis iisque receptis et examini subiectis, auditis insuper quoad petitam suspensionem reductionis ecclesiae in usum profanum tam Congregatione pro Clericis quam Exc.mo Episcopo,

**SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL**

3. Animadverso quod, ad normam art. 95, § 1 *Legis propriae* H.S.T., “Suspensio, vel ex toto vel ex parte, executionis actus impugnati quolibet in causae statu, adductis rationibus, peti potest”, quodque quaestio de petita suspensione concedenda, annon, distincta est a quaestione adhuc disceptanda de illegitimitate, vel minus, actus impugnati;

4. Considerato quod suspensio actus impugnati tantum concedenda est quantum requiritur ad damnum irreparabile praeveniendum et insuper dummodo recursus fumo boni iuris gaudeat,

et ad rem perspecto quod saltem prima facie recursus evidenter fumo boni iuris omnino carere non videtur;

5. Perpenso, relate ad fideles qui ecclesiam contra praescripta auctoritatis ecclesiasticae obsidere et cultum divinum in ea publice exercere praesumunt, quod:

- ad normam can. 1214, ecclesiae nomine intellegitur aedes sacra divino cultui destinata, ad quam fidelibus ius est adeundi ad divinum cultum praesertim publice exercendum;

- ad auctoritatem vero ecclesiasticam competentem pertinet exercitium cultus divini in ea moderari, decernere dies et horas quibus ecclesia fidelibus pateat vel immo aditum ad eam ad tempus suspendere iustam ob rationem, v.g., ecclesiae detergendae, ornandae, conservandae vel reparandae causa (cf. cann. 532; 561; 562; 838, § 1; 1210; 1220; 1276; 1279, § 1; 1284, § 2, n. 1, etc.);

- obsidio ecclesiae, spretis praescriptis auctoritatis ecclesiasticae competentis, a loci sanctitate est omnino absona (cf. can. 1210);

6. Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Vi art. 96, § 3 *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu die 25 maii 2012 coram infra-scripto Praefecto habito,

**decrevit:**

**Petitam suspensionem executionis reductionis ecclesiae in usum profanum partim concedendam esse, ea tamen mente ut pendente recursu:**

**- fideles ecclesiam obsidentes eam relinquere debeant;**

**- Exc.mus Episcopus eam destruere vel vendere nequeat, sed curare debeat ut ea, recursu definito, si et quatenus, denuo ad cultum divinum expedite adhiberi possit, utque interea incolumitati personarum tutandae provideatur.**

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 25 maii 2012.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

✠ FRANCISCUS DANEELS, O.Praem., *Secretarius*